...us
...riae Princeps
Canevesi Thomae: Luctus Lechiae
ad lugubrem tumulum.

LVCTVS LECHIÆ

Ad lugubrẽ tumulum

SERENISS. IOANNIS ALBERTI,

POLONIÆ & SVECIÆ PRINCIPIS:

S. R. E.

CARDINALIS EMINENTISSIMI EPIſcopatus Cracou. Adminiſtratoris perpetui,

DVCIS SEVERIÆ.

Cùm officioſo cultu, & debitâ animi ſubmiſsione.

A

THOMA CANEVESI, Art. & Phil. Bacc.

ADVMBRATVS

Anno D. M DC. XXXV. Die Menſ. Apr.

CRAC. Typis Matth. Andreouienſis.

In Stemma Illuſtriſſ. Domus ZAMOSCIORVM.



QVÆRIS? cur homines ſubeant miſerabile fatum,
Pallida Mors pulſet cur pede tecta Ducum?
ACCIPE: tres Parcæ filum vitamqꝫ tuentur,
Vtqꝫ volunt, rumpunt vellera forficibus:
QVÆRES num noſcent ZAMOSCI STemmata funus?
Non: ternas Parcas, obruet hasta triplex.

ILLVSTRISS: DOMINO

D. THOMÆ DE ZAMOSCIE ZAMOYSKI,

VICECANCELLARIO REGNI POLONIÆ
Generali Crac. Rabstinē. Sokalien. &c. &c.
CAPITANEO:
Dn̄o. Patrono, & Mæcenati ampliss.

AMplissimus fauor, & beneficentissima voluntas, mihi, & Parentibus meis, à Te cōcessa, Mæcenas & Benefactor amplissime, postulare videbatur, vt Illustrissimæ Tuæ Celsitudini, vel Laureæ meæ applausum, vel illustres nobilitatis Polonæ laudes, ob eximiam in Diuo D. Iagellonis Lycæo assiduitatem comparatus, officiosissima mente, submissóq; animi cultu depromerē: Vltrò tamen horum omniū occasione prodeunte, & pro virili imbecillæ ætatis à me expressa, ne cliētis personam gerens, prospera quæuis amplissimo tuo Patronatui offerre videar, à compellando nomine tuo Illustrissimo abstinere volui. Nunc autem, cum ipsa mæstæ Patriæ vox, spontè ruat in tuum sinum amplissimum, inq; tuo Illustrissimo conspectu ad lugubrem tumulū IOANNIS ALBERTI Principis sui, lachrimas effundat, placuit, & certè decuit, luctuosum hunc Reipub. casum, & ineuitabilis fati necessitatem tuo Illustrissimo offerre cōspectui, & tantò magis, quantò te columen Reipub. dignissimū, Quantò in luctuosa mea Fortuna manens, Musam meam

ad luctum gemitumq; effundendum promptiorem intellexi. Fecisset quidem supremus Princeps, si hic, quem lachrimãtes tumulamus, diebus his superstes fuisset, si in eminentissimo Cardinalis Curiæ throno collocatus, sacrum Maiorum suorum sanguinem illustrasset, at cum nostri splendores, in fati tenebras, & purpurata Cardinalium subsellia, in cineres, vrnasq; ferales cõuersa sint, ruente desiderii sancti impulsu, ipsum restat animũ, apprimè cognita profundissimæ menti Tuæ constantia, induere. Neq; tamen expedit inuicto cuiq;, iustum dolorem, impij adinstar mæroris respuere, cùm cõmune bonum, iustam dolendi materiam concilians; iustas lachrimas, etsi non elicere, ab aliis saltem effusas, bona gratáq; mente, intueri adstringat. Idcircò tu Mæcenas & Benefactor amplißime, etsi inuicto quo semper es, nunc etiam maneas, animo, effusos tamen mæstæ Lechiæ fletus, libens suscipe, meumq; continuò ardens (ad penetranda altissima sapientiæ arcana) studium, fauore tuo solito promoue, vt micæ istæ eruditionis, trepidante aliquantùm natura prodeuntes, Illustrißimo tuo atq; doctissimo vultu recreatæ, post in alueos, flumina tandẽ ampliora extendantur. Ego quidem, quantùm naturâ munus datum, Quantùm laboris iusta assiduitas, quantùm exercitationis debita lucubratio patietur, efficere curabo: vt dignum Illùstriß: Tuę Celsit: Clientẽ agens, non vana Zamoscanæ Musę, mihi instillata, reddã primordia, Tu modò, propensionis tuæ, & patrocinij amplissimi beneficentiã, fulcrũ quoddã honorificentissimum laborum meorum, adiungere rectum ducas.

Cliens obsequentissimus,
Thomas Caneuesi Art. & Phil. Bacc.

LVCTVS LECHIÆ.

EHeu: delicium meum,
Cætus purpurei robur aheneum,
Cur tam præcipiti modo?
Fuſcas interitu ſtemmata ſplendida,
Et temnis ſolium tuum,
Quod virtus dederat, ſplendidior Tibi,
Quâ Tu, Phœbus vti nitens,
Me Matrē Lechiam, me miſeram nimis,
(Dico fracta doloribus)
Heu quam me miſerā tunc recreaueras:

Eheu: quis gemitus precor?
Luctum vulnificum, pectoribus meis
Reddit, meq; rapit ſimul,
Vt triſtem peterem funeris exitum,
Vt vitam lacerem bonam;
Quam me, conciliat numine Regio
Cuncto terrigenum Duce
LADISLAVS amans, Rexq; potentior,

Quos

Quos fax Tyndaridum nitens,
Quos vel parua vident cornua cynthiæ:
Eheu: non valeo meos,
Planctus continuos, tollere pallida,
Sermonem, gemitus ſecat,
Et ſpes, quas tenui, pectore de meo,
Euellit feretrum rigens,
In quo, præſidium, dulce decus meum,
In quo Chriſtiadum decus,
ALBERTVS, poſuit Pontificis caput,
Picto triſte cadauere,
Vmbris lethiferis vndiq; ſaucium:
Nigris tempora vultibus.
Cingant Pieridum Sicelidum chori,
Lymphas efficiant ſuas
Planctus, tum lachrymas fundere debitas
Conſpergantq; ſuis aquis
Ioannis tumuli funereum rogum;
In quem, depoſitus cinis;
Longinqui ſenii damna reſarciet,
Quæ, nec purpura lucida,
Nec Regum nitidus deſpiciet decor,

Vos surdæ Dryades, vos nemorum Deæ,
Quæ tum Principis optimi
Vidistis studium, dum peteret boni
Ductus munere publici,
Vrbes turrigeras, terribiles fide,
Tum Romæ caput arduum,
Vos nunc arboribus, rupibus asperis,
Tristes dicite Nænias,
Montes grandiloquo iam gemitu sonent,
Luctu viscera dissecent:

Heu momenta nimis mala;
Nam, quo sunt humeri brachia fortia?
Diuûm purpureæ rotæ:
Quam nemo fuerit ni sapiens, potest.
Clarus sit licet, ingredi;
Gestet maxima seu lumina purpuræ;
Iam non vlla spei datur
Virtus, iam perijt, iam cecidit meum
Lumen, præsidium, decus,
Et mæsti celeres deliciæ Lechi:

O Fallax hominum dies,

O spes,

O Spes, Spes lubricæ, quæ simul omnibus
Rectis, interitum struunt:
Inter blandiloqui verbula sospitæ,
Mittunt tela ferocia:
Et crescentia iam sidera gloriæ,
Atris nubibus obruunt:
Fortunæ rapiens, subsidium bonæ,
Stamen viuificum seu,
Quo nil dulcius est, quo melius nihil:

Nullus concipiat, nullus & appetat,
Quemuis dicere prosperum:
Reddet stultiloquum, falx necis aspera,
Expandens rabiem suam:
Nullus sole nitens nubila respuat,
Isthæc omnia corruunt:
Nam dum verticibus sistere te putas,
Fossas tunc retines pede:
Et dum lætitiæ cantica perficis,
Luctus tunc ruit impius

Eheu, tempora suauia,
Cum vos nunc trutino mente potentius,
Quæ

Quæ mecum, bona Principis
Vidiſtis cupidè lumina nominis,
Effundo lachrimas, meum
Pectus, vulneribus continuis premo,
Veſtes, magnificas togas,
Blattis, pulueribus dono voracibus:
Et textus capitis, manu
Diſrumpens, fluuios procreo ſanguinis:

Eheu impia ſidera,
Quæ luctus hominum neſcia maximi,
Currunt tramite proprio,
Et mundo, faciunt exitij Chaos,
Rerum dum variant ſtatus,
Nobis dum cupiunt mittere vulnera;
Quæ, non herba ſalubribus
Virtutis genitæ diſcutiet modis,
Regum dum penetrant domos,
Et fato Dominos percutiunt malo:

O magnum, gemitus ſpernere luridi,
Vires præcipites magis:
O luctus nimios tollere maximum,

Quos fundit pietas bona:
O magnum, rigido vulnere ſaucium,
Pectus reddere proſperum:
Ecquis nunc lachrimas? quis genium meum?
Triſtem funditus abluet?
Quis quæſo cupio nunc madidas genas,
Terget, mæſtaq; lumina?

Cui robur fuerat tollere lachrimas,
Lugubrem ſubijt lacum:
Planctus viſceribus trudere de meis,
Eſt nec quiſq; potis ſcio:
Nam quo lætitiæ ſubſidium volat,
Illuc & mea gaudia:
Conſcendis tumulos, optime Pontifex,
Conſcendo tumulos ego:
Pallentem faciem, labraq; tu refers,
Pallent & mea viſcera:

Eheu me miſeram nimis
Me, me, nam cruciat non dolor vnicus,
Turmatim mea limina,
Inuadunt Lacheſis vincla prementia,
En nunc

En nunc triſtis humaueram,
Sceptri delicias, atq; decus mei,
Quod nec dicere, te carens
O luctus valeo, præterijt modo,
ALEXANDER amor meus,
Quem Pallas doluit, Martis & area:

REGALES ANIMÆ MEÆ:
Caſu cur ſubito, me Patriam ſimul
Ambæ ſpernere tenditis?
Et conceſſa bonæ ſtemmata gloriæ
Vobis, inferetri ſpecum
Vná cum propriis pulueribus ſacris
Ambo proijcitis ſimul,
O fati rabies, o dolor impie,
Eneruas mea cantica,
Cordi, qui gemitum concilias nouum:

ALEXANDER enim meus,
Tu nunc imperium, tuq; thronos ſimul
Anguſti lateris mei,
Augures animi fulgure Martij,
Aſt iam dextera bellica,

 Lethi

Lethi non pauidi, vulnere ſaucia,
Vires depoſuit ſuas:
Cuius non poterat claudere gloriam,
Orbis machina maxima,
Hunc clauſit tumulo, terra minor ſuo:

Iungit meſtitiæ dolor,
Lugendam ſtolidæ triſtitiæ notam,
Torrentem lachrimæ nouum,
Frangens fana Dei, præſidium bonum
ALBERTVM, decus arduum
Summi Chriſtiadum Pontificis rotæ,
Cui non mens hominum mala,
Vitam perpetuis temporibus dedit,
Chriſti dextera ſed potens,
Mandat longanimis viuere ſecula:

Eheu, quo mea tenditis
Vitæ plus nimio ſtamina ſquallidæ,
Luctu ſiccine peſſimo
Meſſor ceu aratri vomere gramina
Scindetis, mea pectora?
Eheu ſi pietas Cælicolis ineſt,

Si quæ cura mei,
Si mæſtæ patriæ cordibus eſt ſalus,
Tollant hæc mala: diſſipent
Iam luctus tenebras, lampadibus boni:

Conum non galeæ ſuæ
Miles, continuo ſanguine purpurat,
Omni tempore non quoq;
Brumæ famis, onus, vulnera ſuſcipit:
Sudori requies datur,
Pax iucunda, dies ſubſequitur malas:
Rerum ſunt varij ſtatus!
Cæli nubila poſt; ſideribus micant,
Poſt fluctus validos, mare
Diſpellit Boream, cunctaq; flamina:

Ætnæ ferricremi foci?
Formantes ſuperis, fulmina, fulgura
Flammas tollitis ignium?
Nec ſemper crepitant ignea pondera,
Veſtris carceribus data:
Nec ſemper manibus turba Ciclopica,
Scintillas gerit igneas:

 Sæpe

Sæpè namq; iuuat ſumere frigida,
Auris grata tepentibus:
Et ſæpè gelidis ponere torrida:
Felices nimis ordines
Rerum, tanta quibus gratia condita,
Vt Leſſus Furias acres,
Recte perficiant carmine proſpero:
Aſt me fata tenent, precor
Quænam? dum lachrimis ora madentia,
Luctus tergere non ſinit!
Primi dum rigidi funeris orbitam,
Non tollit feretrum ſequens (
Funus triſte ruit, funere triſtius?
O Diui IAGELONIS, cineres ſacri,
Geſtant qui diademata
Regni Sarmatici, quæ modo murmura
In veſtris feretris ſonant?
Ecquis nam ſonitus, verba ne triſtia?
Iſti num gemitus mei,
Num dulces lachrimæ, num ſtrepitus pij?
Num patrum mala gaudia?

Num-

Num mens vulneribus concita tædij?
Natos conſpiciens, rapit?
Veſtræ nunc animæ, forſitan igneis
Spretis cardinibus poli:
In triſtes redeunt, terrigenûm plagas,
Et ſufflant ſua corpora:
Ac inter tumuli, nigra ſilentia;
Leſſus incipiunt nouos,
Et reddunt lachrimas, neptibus obuiis,
Qui pulſant feretrum pede,
Et nunc efficiunt baſia, nunc nimis
Funeſto gemitu madent:

Hæc inter mala vulnera?
Quæ ſolatia ſunt, gaudia quæ mea:
Pallor ſubuolat vndiq;,
Lugubres gemitus, arietibus ſuis
Contundunt mea viſcera
LADISLAE tuus ni rumor inclytus
Ferro quem facis aſpero,
Detrudens capitum cornua Barbara
Menti letitiam daret,
Iam iam me miſeram funeribus darem:

Dispersos igitur meos
Amplexus, Tibi quos FRATRIBVS & TVIS,
Ardens continuo dabam,
Nunc omnes animo, NATE PATER bono,
Trado, dono, libens TIBI.
Regum maxime Rex; & Pater optime,
In Te, tum pietas PATRVM,
Et virtus, basibus fixa suis manet,
Fortis, Bellica, Martia,
Tu tergis lachrimas & gemitus meos,
Victrici toties manu.

Deo, Virgini Matriq; Castissimæ, uniuersæ Cælorum Curiæ gloria & gratia.